

*Id ipsum est de mente sacre Congregationis cardinalium.* — In praxi tamen consultissimum, adque ad evitanda discordiarum, aliorumque peccatorum pericula, bonumque publicum promovendum, vel maxime opportunum erit, in talibus casibus imitari præclarum exemplum sancti Caroli Borromæi, aliorumque insignium præsulum, qui tempore caritatis, pestis, aut alterius publicæ necessitatis consueverunt coadjuvare suis edictis principum sæcularium proclamata; ut notat Navarrus cap. xxiii. *Manual*, nu. 88; Azorius, part. I, lib. V, cap. xii; Sperellus, decis. 13. *Fori ecclesiast.* n. 14. Sic quippe sanctissimus ille archiepiscopus Mediolanensis, cum a gubernatore urbis illius per litteras requisitus fuisset ut cogeret clericos ad observandum edictam a se pro publica utilitate conditam: cum primis quidem libere rescripsit, « in Ecclesia Dei novum, atque inusitatum esse, et canonum sanctionibus, sanctæque Ecclesiæ immunitatis ratione alienum, ecclesiasticos edictis ejusmodi laicorum principum magistratuumve servandis astrictos teneri, ad eaque exequanda per episcopos compelli; » nihilominus, ut publicæ utilitati melius consulere, statim et ipse super eodem negotio edictum sua auctoritate confectum promulgari fecit: prout hoc totum liquet ex litteris sancti Caroli, archiepiscopi Mediolanensis, ad memoratum gubernatorem die 27 aprilis, 1576, datis, quæ integræ referuntur post consilium 1001 Menochii; ac ex parte adducuntur a Sperello, decis. 12, nu. 20. et cit. decis. 13, num. 14. Atque hoc esse de mente « sacre Congregationis eminentissimorum cardinalium, negotiis episcoporum regulariumque, præpositorum, » testatur Sperellus cit. decis. 13, n. 14, pluribus exemplis ostendens eandem sacram Congregationem sæpius rescripsisse ordinariis locorum, ut quoad annonam, et extractionem frumenti, se conformarent cum ordinationibus sæcularium similes faciendo ordinationes, quas postea a clericis servari carent. Verum majoris claritatis gratia,

311. *Differentia inter statutum laicorum, quod specificè disponit de ecclesiis seu clericis, et quoad generaliter procedit.* Fortior est specialis concessio, quam quæ generalis. *Declaratur.* — Objicies I contra primam partem conclusionis. Non valet statutum a laicis specificè factum circa ecclesias, personas, resque ecclesiasticas, etiam in earum commodum et favorem, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum,

c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. 10. h. t. ergo neque statutum a laicis generaliter factum, recte ad ecclesias, et personas ecclesiasticas extenditur, quantumvis sit favorabile. Probatur consequentia: quia fortior est specialis concessio, quam generalis, c. *Quia ad agendum de Procurat.* in 6, cum similibus. Resp. negando consequentiam, et paritatem. Nam in priori casu adeo non valet statutum laicorum, ne notetur horum superioritas supra ecclesias, et statum clericalem, si quoad ipsas posset directe disponere etiam in favorabilibus: et hæc ratio notatur in cit. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. h. t. ibi: « Nos attendentes, quod laicis super Ecclesiis nulla sit attributa facultas. » Secus est, quando lex civilis, aut statutum laicorum loquitur et disponit solum generaliter: hic enim nulla prætenditur, seu notatur eorum superioritas supra ecclesias, et clericos; atque ideo talia statuta valent. Ad probationem consequentiæ dicitur illud dictum procedere, quando in concedente concurrat libera potestas disponendi de re aliqua, v. g. constituendi procuratorem, de quo casu loquitur cit. cap. *Qui ad agendum*: tunc enim ex speciali mandato licentius colligitur voluntas disponentis. Secus, ubi deest potestas in disponente: nam tunc fortior est concessio generalis, arg. c. *Tua*. 25 et ibi Abbas, n. 9. *de Decimis*.

312. Qui sentit commodum, debet sentire et onus; *limitatur.* — Objicies II. contra secundam partem conclusionis. Qui sentit commodum, debet sentire et onus, juxta reg. 55 juris in 6. cum concordantiis: ergo, cum clerici sentiant commoda legum et statutorum sæcularium, debent sentire et onera eorum, tanquam membra ejusdem reipublicæ, sicque tenentur eisdem etiam quoad vim coactivam. Resp. neg. consequent. loquendo de legibus, seu statutis sæcularibus, quæ sunt clericis præjudiciales: ut forent illæ, quæ astringerent clericos quoad vim coactivam. Ad allegatam regulam juris dicitur, eam præter alias fallentias pati limitationem, quando quis ab onere, sive præjudicio legis specialiter est exemptus, atque privilegiatus: prout clerici, aliæque personæ ecclesiasticæ, una cum ecclesiis, rebusque earum, specialiter sunt privilegiati, et exempti a jurisdictione fori sæcularis; ac proinde in materia odiosa, sibi que præjudiciali, ut patet quoad vim coactivam, non ligantur legibus ipsius, licet si afferant commodum, possint uti earumdem favoribus

313. *Clerici sunt membra reipublicæ, specialiter tamen privilegiata.* — Nec obstat, quod clerici sint membra reipublicæ can. *Duo genera*, 11. q. 1. Nam sunt membra ipsius, non quomodocumque, sed specialiter privilegiata: ac proinde, licet sub statutis laicorum comprehendantur inclusione favorabili, non tamen inclusione odiosa, sibi que præjudiciali, qualis foret inclusio quoad vim coactivam. (ADNOTATIO XIX.)

## § XIV.

DE OBLIGATIONE LEGUM, ET STATUTORUM SÆCULARIUM QUOAD CLERICOS, QUÆ DISPONUNT DE CONTRACTIBUS, ALIISQUE REBUS MERE PROFANIS.

314. *Subdivisio præsentis materiæ.* — Circa præsentem materiam, quæ majoris claritatis gratia in speciali paragrapho examinatur, plura possunt occurrere dubia, et distingui quæstiones. Et primo, quid dicendum, si leges civiles, seu constitutiones municipales sint favorabiles, vel præjudiciales clericis? Secundo, an leges corpori juris civilis insertæ, quæ generaliter disponunt circa contractus, aliasque res profanas, nec sacris canonibus contrariantur, extendantur ad clericos? Tertio, an hoc ipsum procedat in statutis inferiorum principum, sive magistratuum sæcularium, quoad sua propria territoria generaliter latis, aut saltem dentur certi casus, in quibus talia statuta laicorum extenduntur ad clericos? Et de his per ordinem loquamur.

315. *Leges sæculares de contractibus, etc. si sint favorabiles, extenduntur ad clericos: secus, si sint præjudiciales.* — Queritur I. Num leges sæculares de contractibus, aliisque rebus profanis quidquam generaliter disponentes, extendantur ad clericos, sive dein his sint favorabiles, sive præjudiciales? Resp. Leges communes juris civilis, atque municipales aliquorum locorum, generaliter disponentes circa contractus, aliasque res profanas, si sint favorabiles, extenduntur, et procedunt etiam quoad clericos, et ecclesias, earumque res; secus, si sint istis præjudiciales. Ita Abbas, c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, n. 12. et Felinus, ibid. n. 66 et 80. h. t.; Menochius, l. II, *de Jurisdict.* cap. I, casu 3 et 4; Sperellus, *Fori ecclesiast.* decis. 10 et seqq. cardin. de Luca *Miscellan. ecclesiast.*, discours. 8, n. 6 et 10; Pirhing h. t. n. 74 et alii communiter.

316. *Quæ distinctio declaratur exemplo pupilli, qui rem suam; ac servi, qui rem domini*

*potest facere meliorem, non deteriorem.* — Neque isthæc distinctio cuiquam mirabilis videatur: nam ipso jure civili in simili statuitur. § 1. *Instit. Auctorit. tutor.* quod pupillus sine tutoris auctoritate meliorem suam conditionem facere possit, non autem deteriorem; prout et per servos melior conditio homini fieri potest, non vero deterior, l. *Servus*. C. *de Pactis*, et l. *Melior*, 176. ff. *de Reg. juris*, cum similibus.

317. *Probatur prior pars conclusionis. Clerici sunt membra reipublicæ, et quidem præstantiora.* — Prima pars probatur ex c. *Dilecti filii*. 17. *de Foro compet.* ubi privilegium concessum hominibus certæ patriæ, transit in clericos, dummodo (ut notat Abbas ibid. n. 3.) materia subjecta pariter proportionetur utrisque. Accedit quod clerici, quantumvis exempti a jurisdictione fori sæcularis, non sint similes hominibus omnino forensibus, et a quibus respublica nullum habet subsidium, quique proin non merentur ejus favoribus gaudere. Quinimo clerici sunt membra reipublicæ, et quidem præstantiora, c. *Duo sunt genera*. 12, q. 1, cum similibus: unde etiam dicuntur *Cives*, secundum Bartolum, l. 1. ff. *Ad municipal. et Districtuales*, juxta Romanum singul. 446. et Rotam, decis. 452, n. 2, part. II. divers. Et quamvis non subeant onera temporalia, subeunt tamen spiritualia in celebratione divinorum officiorum, administratione sacramentorum, prædicatione sancti Evangelii, aliisque laboribus ecclesiasticis, qui tanto præponderant sæcularibus, quanto quæ sunt animæ, corpori præferuntur c. *Exiit*. § *Continetur. de Verb. signif.* Hinc non mirum, quod clerici in favorem suum allegare, atque uti valeant illis privilegiis, exemptionibus et favoribus, qui communi lege, sive statuto, generaliter civibus concessi sunt: neque enim clericatus tollit ab ipsis tales prærogativas cæteris concessas, nec debet clericus deterioris esse conditionis, ac quivis alius civis, et sæcularis, juxta illud sancti Apostoli *I Cor.* x, 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* Quasi diceret: non est magnum, sed debitum.

318. *Ratio posterioris partis conclusionis. In materia odiosa nomine populi, non comprehenditur clericus.* — Altera pars desumitur imprimis ex cap. I. *de Consuetud.* ubi consuetudo (idem dicendum de statuto, eo quod consuetudo, et statutum, non differant, nisi sicut tacitum et expressum, dum in consuetudine

intervenit tacitus, in statuto autem expressus consensus, ut notat Abbas ibid. n. 1.) non valet, quando venit in præjudicium, seu gravamen non modicum ecclesiarum: quia tunc obstat favor religionis; nam multa specialia sunt inducta favore religionis, et ecclesiarum, arg. l. *Sunt personæ*, ff. de Religios. et sumpt. funer. Accedit defectus jurisdictionis laicorum in clericos, de quo jam supra n. 292 et 307. Tandem in materia odiosa nomine populi non comprehenditur clerus, c. *Si sententia*. 16. de Excommunic. in 6, ac velut indubitatum tenet Fagnanus in c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, n. 29. §. *Quæ tamen*. h. t. ergo leges civiles, aut magistratum sæcularium, generaliter pro populo latæ, haud obstante, quod alioquin honestæ sint, ac validæ, non astringunt clericos, si istis sint præjudiciales.

319. *Lex clericis præjudicialis, et non præjudicialis, quæ?* — Ubi notandum, quod illa lex censeatur clericis esse præjudicialis, quæ semper, ac simpliciter, apta est ipsis afferre incommodum: secus, quando lex potest habere aliquando commodum, et aliquando incommodum; talis enim non dicitur præjudicialis. Et hujusmodi « lex non præjudicialis » est illa, quæ jure communi habetur de novi operis nuntiatione; item lex disponens de contractibus, de locato, conducto, deposito, emptione et venditione rerum, ac similibus. Nam, quamvis ejusmodi lex aliquando noceat clerico, ut puta condemnato ex deposito, tamen alia vice potest ipsi prodesse agenti ex deposito; ac proinde non censetur præjudicialis: sicque est servanda etiam quoad ecclesias, et ecclesiasticas personas, dummodo alias non contradicat sacris canonibus. Abbas in d. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, n. 13, et Felinus ibid. n. 66, h. t.

320. *Leges juris civilis circa contractus, aliasque causas profanas generaliter latæ, si sacris canonibus non contrariëntur, extenduntur ad clericos.* — Quæritur II. An leges corpori juris civilis insertæ, quæ generaliter disponunt, sive aliquid statuunt circa contractus, modum succedendi ab intestato, et alia mere profana, cæteroquin autem sacris canonibus, aut immunitati ecclesiasticæ non contrariantur, etiam ad clericos, resque ecclesiasticas extendantur; haud obstante, quod quandoque commodum, quandoque incommodum afferant? Resp. Hujusmodi leges juris civilis extenduntur etiam ad ecclesias, personasque ecclesiasticas; adeo, ut contra

istas in defectum canonum recte allegentur in utroque foro, tam canonico videlicet, quam civili. Ita Abbas in d. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, n. 13, h. t. et alii, junctis illis, quæ de confœderatione; juris utriusque dicta sunt in præmio, n. 224, 225 et seqq. Ratio ulterior est, quia leges istæ civiles non possunt dici præjudiciales ecclesiis, vel personis ecclesiasticis; nam, dum hodie succumbenti damnum afferunt, alia vice in causa superant, possunt afferre commodum: unde Decius in d. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, n. 27, h. t. non immerito asseruit hasce leges esse clericis favorabiles. Deinde, quamvis leges istæ civiles ex se ipsi non habeant vim obligandi clericos, utpote exemptos a jurisdictione fori sæcularis; eam tamen habent ex acceptance, et auctoritatæ Ecclesiæ, cap. I et II. de Novi oper. nuntiat. cum concordantiis.

321. *In causis ecclesiasticis possunt allegari leges, si canones deficiant. Id practitarum Papæ.* — Id ipsum confirmatur ex eo, quia ejusmodi legibus civilibus, quæ non sunt præjudiciales clericis, neque sacris canonibus contrariæ, frequenter ipsimet Pontifices in favorem ecclesiarum, vel clericorum ab aliis indebite gravatorum usi fuerunt: uti liquet ex cit. c. I et II. de Novi oper. nuntiat., ubi Ecclesia, post nuntiationem novi operis ædificata, mandatur destrui, juxta constitutum legum civilium: ubi proinde Glossa communiter recepta. §. *Adjvantur*, infert, « quod in causa ecclesiastica possint allegari leges, ac etiam secundum eas judicari, si canones deficiant » juxta can. *Lege imperatorum*, et can. *Si in adjutorium*, dist. 10. ubi habetur, « quod leges imperatorum in adjutorium Ecclesiæ licite assumantur, exemplo sancti Pauli apostoli adversus injuriosos ad Cæsarem appellantis » Actor. cap. xxv, 14. Insuper, quod legibus civilibus utendum sit in causis etiam ecclesiasticis, nisi sacris canonibus contradicant, patet ex cap. ult. de Alienat. judic. mutand. caus. etc. *Dilectæ*, etc. *Inmotuit, de Arbitris*. et c. *Ecclesia*. 3. *Ut lite pendente*, etc. *Cum dilecta*, 4. §. *Nos igitur, de Confirmat. util.* et alibi sæpe. Quibus in locis hoc ipsum Pontifices practicarunt, sicque vim aliquam directivam talium legum ob naturalem ipsarum æquitatem agnoverunt, eamque sola auctoritate amplius comprobarunt. Unde in c. *Super specula*. 21. de Privileg. notanter dicitur, quod « Sancta ecclesia legum sæcularium non respuit famulatum, quæ æquitatis, et justitiæ vestigia imitantur. »

322. *An pariter statuta inferiorum laicorum, quæ disponunt circa contractus, et non sunt præjudicialia clericis, nec sacris canonibus contraria, extendantur ad clericos?* — Quæritur III. Utrum proxime dicta de legibus insertis corpori juris civilis, procedant pariter in statutis inferiorum principum, et magistratum sæcularium; adeo, ut si talia laicorum statuta disponant circa contractus, vel alias res profanas, simulque de se non sint clericis præjudicialia, neque sacris canonibus, aut immunitati ecclesiasticæ adversentur, extendantur ad clericos, eosque obligent? Resp. I in resolutione hujus quæstionis esse duas diversas doctorum sententias. Et quidem,

323. *Refertur affirmativa sententia Bartoli.* — Affirmativam sententiam tenet Bartolus in l. *Cunctos populos*. §. *Quinto quæro*. n. 10. de Summa Trinitat. ubi præmisso prius, quod statuta laicorum contra libertatem ecclesiarum, et earum personas non valeant, Auct. *Cassa et irrita*. C. de Summa Trinitat. concludit distinguendo, quod aut statuta sunt directe super ecclesiis, rebusque ecclesiasticis; et non valent, defectu jurisdictionis: aut statuta sunt facta simpliciter, seu disponendo generaliter, nec redundant contra ea, quæ sunt concessa ecclesiis, vel clericis in privilegium, et tunc (inquit) ligant clericos, et sunt servanda in foro episcopali, dum tamen sint honesta: ut c. *Cum venissent*. 3. *De eo, qui mittitur in possess.* et c. *Constitutus*. 8. *De in integrum restit.*, etc. *Cum causa*. 8. de Sentent. et re judic. ubi ideo retractatur sententia, quia fuit lata secundum malam consuetudinem regionis. Secus, si fuisset bona, sive rationabilis, juxta Glossam fin. ibid. Et consequenter laudabilis terræ consuetudo in causis ecclesiasticis decidendis admittitur per Papam: idem ergo dicendum de statuto municipali, honesto tamen, et libertati ecclesiasticæ non præjudicante: nam valet argumentum a consuetudine ad statutum, cum non differant, nisi sicut tacitum et expressum.

324. *Sententia negativa est communis, ac tenenda.* — Verum hæc Bartoli sententia sic generaliter prolata communiter ab aliis relinquitur, et improbat, ut notant Felinus in c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, num. 81. h. t. Covarruvias in c. *Possessor*. part. II. § 4; n. 8. et Sperellus, decis. 10 *Fori ecclesiastici*, num. 16, eamque ex professo rejicit Abbas Panormit., « in solemniter repetit. cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, » n. 1. et 40. h. t. Tenenda

igitur est sententia negativa, et dicendum, quod leges sæculares inferiorum principum, et magistratum, sive statuta municipalia laicorum etiam generaliter facta, non extendantur ad ecclesias, et personas ecclesiasticas, neque istos obligent; prout tenent proxime citati auctores, et late probat Alexander, consil. 220, per totum, ac passim communi calculo firmari, testatur Sperellus, loc. cit. num. 1.

325. *Ejus multiplex ratio. Disparitas inter leges juris civilis, et statuta particularia locorum.* — Probatur hæc negativa sententia ex sæpe cit. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. 10 h. t. ubi mentio fit de statuto generali laicorum, et tamen negatur extendi ad ecclesias res, vel personas ecclesiasticas. Accedit ratio ibidem insinuata: quia videlicet « laicis, etiam religiosis, super ecclesiis, et personis ecclesiasticis, nulla est attributa facultas; » et consequenter has non voluerunt, neque potuerunt obligare statutis suis, etiam generaliter latis, et cæteroquin honestis; quinimo statuta, quantumvis generalia, propter defectum jurisdictionis restringuntur, ut non comprehendant nisi subditos. Abbas in c. *A nobis*. 21. numer. 4. de Sentent. excommunic. Tandem id suadet ex eo, quia notabilis est differentia inter leges sæculares corpori juris civilis insertas, et inter statuta municipalia, et particularia locorum: nam illæ sunt a sacris canonibus cognitæ, et ubi ipsi non contrariantur, neque peccatum fovent, approbatæ, cap. I. de Novi oper. nuntiat. junctis aliis juribus, et exemplis, supra num. 321. allatis, quæ de hisce legibus juris civilis procedunt. Secus accidit in statutis municipalibus laicorum: nam hæc sunt Ecclesiæ, atque Romano pontifici incognita, cap. I. de Constitut. in 6. ac proinde non censentur approbata per Ecclesiam, ad instar priorum. Surdus Consil. 301. n. 50. et 51. Hostiensis cap. ult. de Solution. et alii, quos pro hac sententia citat Sperellus. decis. 13 *Fori ecclesiast.*, num. 2.

326. *Hic non habet locum distinctio de obligatione quoad vim directivam, non coactivam; et cur?* — Nec juvat hic recurrere ad datam superius distinctionem de vi directiva, et coactiva talium statutorum sæcularium, in ordine ad clericos. Siquidem impræsentiarum non quæritur de honestate actuum, seu ad quid agendum, vel fugiendum in conscientia, ut sub reatu culpæ quis obligetur; sed de valore actuum, ut puta contractuum,

non observatis solemnitatibus per statutum laicale præscriptis celebratorum; item de forma in judiciis observanda, seu modo succedendi ab intestato, et hujusmodi. Quinimo reddere aliquem inhabilem ad contrahendum, testandum, vel succedendum ab intestato, et hujusmodi, ob aliquod crimen, aut defectum, vel propter non servatas certas solemnitates per statutum laicale præscriptas, pertinet ad vim coactivam legum, et quod istud poenam sive præjudicium aliquod contineat; sicque nequeunt clerici per illud astringi. Engel h. t. numer. 35, post Navarrum consil. 3, de *Constit.* numer. 5. et alios passim.

327. *Respondetur ad rationes Bartoli.* — Nec obstant jura, num. 323, per Bartolum in contrarium allegata. Nam imprimis in c. *Constitutus*. 8. *De in integrum restitut.* sermo est de consuetudine mere favorabili, quæ, sicut et statutum laicale favorem porrigens, recte extenditur ad clericos, ut mox amplius dicitur num. 329. Deinde in c. *Cum venissent*. 3. «De eo, qui mittitur in possess.» etc. *Cum causa*. 8. *de Sent. et re judic.* sermo est de consuetudine communi clericis et laicis, ut recte ibidem notat Abbas: quando autem consuetudo et laudabilis, et alicubi promiscue introducta tam per clericos, quam per laicos, obligat ipsa etiam clericos, ac recte allegatur in utroque foro, tam ecclesiastico, quam civili, arg. c. *Cæterum*. de *Donation.* et recte probant jura allegata. Quamvis tunc clericus teneatur tali consuetudine, non quatenus est inducta per laicos, seu quatenus est recepta inter clericos, atque inter istos viget.

328. *Dantur nihilominus certi casus, in quibus statuta laicorum extenduntur ad clericos, vel hos afficiunt.* — Resp. II. Dantur nihilominus certi casus, in quibus statuta laicorum pro communi bono reipublicæ generaliter lata, et cæteroquin rationabilia, ac sacris canonibus, seu immunitati ecclesiasticæ non repugnantia ad clericos extenduntur, vel circa ipsos aliquid operantur. Ita Felinus in c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, num. 81. h. t. asserens, in talibus casibus, quorum plures affert, posse salvari opinionem Bartoli; card. de Luca, tom. I, discurs. 8. *Miscellan. ecclesiast.*, num. 6. et seqq. ubi pariter complures tales casus adducit; et sequuntur alii passim. Quod ut distinctius intelligatur, dicamus

329. *Et qui sint illi casus? Quando statutum laicale et privilegiativum, ac mere favorabile.* — Queritur IV. In quibus casibus statuta laicorum generaliter disponentia extendantur

ad clericos, vel istos afficiant? Resp. hujusmodi casus potissimum esse sequentes. Primus est: quando statutum laicale est privilegiativum, ac mere favorabile. Ita Felinus loc. cit. in casu primo; Abbas in d. c. *Constitutus*, n. 4. *De in integrum restit.* ubi ex textu illius capituli notabiliter concludit, quod «clerici possint uti statuto, seu consuetudine laicorum porrigente merum favorem, ex quo statutum, seu consuetudo disponit generaliter: quia tunc videtur quoddam statutum privilegiativum, certumque est laicos posse in rebus eorum privilegiare Ecclesiam, et clericos,» ut in c. *Novit. de judic.* Secus, quando statutum non est privilegiativum, etc. Idem habet communis aliorum, et patet ex dictis supra num. 294 et 317.

330. II. *Quando consuetudo est promiscue inducta in loco per clericos, et laicos.* — Secundus casus est: quando consuetudo est promiscue seu communiter inducta in loco tam per clericos, quam per laicos: tunc enim obligat utrosque, ut dictum num. 327. ac tenet Felinus cit. n. 84. § *Secundus casus*, h. t. citans alios.

331. *Quid, si alia sit consuetudo clericorum, et alia laicorum?* — Secus dicendum, quando alia consuetudo viget inter clericos, et alia inter laicos: tunc enim inter clericos attenditur, et iudicatur secundum consuetudinem clericorum, et inter laicos secundum consuetudinem laicorum: quia diversæ sunt professiones inter eos; can. *Duo sunt genera*. 12. q. 1. Atque ideo consuetudo unius aliam non afficit; can. *Scit Sancta*, et can. *Illud breviter*, dist. 12; Abbas in c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, n. 34. h. t.; Hostiensis in *Summa*, tit. de *Consuetudine*, n. 12. §. *Sed pone*, et alii.

332. *Statuta laicorum per Ecclesiam approbata, qua ratione constringant clericos?* — Et isthæ applicando ad statuta laicorum, certum est, quod hæc a laicis lata clericos non obligent, ob defectum jurisdictionis; quamvis, si fuerint favorabilia, eisdem clerici possint uti ad commodum suum. Quod si autem statuta laicorum etiam in ordine ad clericos per Ecclesiam fuerint approbata, confirmata; seu communiter edita, tunc eisdem clerici eisdem sujacebunt, non tamen ipsis constringentur, quatenus procedunt a potestate laicali, sed quatenus ab ecclesiastica proveniunt auctoritate.

333. *Approbare statuta laicorum in ordine ad ecclesias, et ecclesiasticas personas; est casus Papæ reservatus.* — Circa hoc est sciendum;

quod approbare statuta laicorum in ordine ad Ecclesias, et ecclesiasticas personas, sit casus papæ reservatus: siquidem inferior ab eo non potest laicis committere negotia ecclesiastica contra cap. II. de *Judiciis*, cum similibus; ac notat Abbas in c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. n. 5. et Felinus ibid. num. 3. h. t.; Sperellus, decis. 10. *Fori ecclesiast.* n. 39. et 40. ac alii. Quamvis enim Episcopus statutum laicorum cæteroquin sacris canonibus, aut libertati ecclesiasticæ non repugnans, possit ita confirmare, ut confirmando illud proprium efficiat; adeo, quod censeatur esse statutum etiam episcopale, et tota vis constringendi clericos proveniat a solo episcopo: nunquam tamen potest episcopus statutum laicorum taliter confirmare, ut potestas sæcularis acquirat jurisdictionem prohibendi, vel concedendi quidpiam clericis. Hoc enim solum papa potest concedere, utpote qui habet plenitudinem potestatis, et per hanc posset etiam laicis committere potestatem excommunicandi, et suspendendi clericos, ut vult Glossa can. *Præter*. §. *Verum*. §. *Duci*. dist. 32; Abbas loc. cit. n. 6. et Felinus loc. cit. num. 3. cum hæc sit potestas jurisdictionis potius, quam Ordinis.

334. *Cautela pro episcopis cupientibus ut clerici principum secularium ordinationibus se conforment.* — Cæterum Sperellus cit. decis. 10, n. 42. ponit notabilem cautelam pro Episcopis cupientibus ut clerici aliqua in re pariter cum laicis ambulent: videlicet, quod non confirmet statutum, vel proclamationem principis sæcularis, sed aliud consimile edictum separatim publicari curent quoad suos subditos: et ita pluries sese practicasse asserit (erat enim episcopus Eugubinus) quoties bono regimini expedire censuit, ut sese cum principum sæcularium ordinationibus conformaret. Concordant dicta superius §. præc. n. 310. (ADNOTATIO XX.)

335. III. *Quando clericus agit contra laicum in foro civili, debet servare in præparatoris iudicii statuta laicorum.* — Tertius casus est: Quando clericus agit contra laicum in foro civili, et coram iudice sæculari, quia tunc in præparatoris seu ordinatoris iudicii (hoc est, in his quæ spectant ad litem ordinationem) debet servari statutum, et consuetudo laicorum. Abbas cit. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. n. 9. h. t., ubi inquit, quod ab hoc nemo discrepet, ac proinde infert, quod si causa clerici vertatur coram iudice sæculari, recipiat peremptionem instantia secundum leges, et statuta laicorum,

quæ ibi vigent; et e converso, si causa laici vertatur coram iudice ecclesiastico, procedatur secundum modum fori ecclesiastici; neque enim forum sæculare potest præscribere modum procedendi in foro ecclesiastico, nec e contra. Idem tenent Felinus d. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. n. 81. §. *Tertius casus*. et alii communiter, post Glossam in c. *Quod clericis de Foro compet.* Idque patet ex L. 3. §. fin. ff. de *Testib.* cum concordantiis in sumario adductis, ubi dicitur, quod in his, quæ spectant ad litem ordinationem, debemus inspicere consuetudinem loci, ubi agitur: secus in his, quæ pertinent ad litem decisionem.

336. *Tale tamen statutum non afficit clericum directe, sed solum indirecte, et consecutive.* — Sciendum tamen, quod in hoc casu statutum laicorum proprie, seu directe non afficiat clericos, sed solum indirecte, et consecutive. Quia enim, jure sic disponente, causa quoad ordinaria iudicii debet regulari secundum naturam fori, ubi agitur, ut dictum; simulque clericus actor debet sequi forum rei laici, ipso etiam jure canonico sic ordinante, c. *Si clericis*. 5. et c. *Cum sit generale*. 8. de *Foro competent.* cum similibus: consequens est, ut idem jus canonicum censeatur velle, quod causa ibidem agitur secundum modum illius iudicii, adeoque secundum statuta, et consuetudinum laicorum, quæ ibidem vigent.

337. IV. *Quando clericus vult uti statuto laicali pro se, tenetur illud et etiam admittere contra se.* — Quartus casus est, quando clericus vult uti statuto laicali pro se, debet illud etiam admittere contra se. Tenetur enim statutum tale, si ipso uti velit contra laicum, recipere cum omnibus suis qualitatibus, quamvis aliqua sint contra ipsum; ac proinde non potest ejusmodi statuto uti pro se, et ad suam favorem in una clausula (intellige, cum effectu) et in alia clausula illud rejicere. Alexander, consil. 209, num. 15, lib. II; Sperellus, decis. 11, num. 17, citans insuper Baldum L. I. §. *Sexto quaero*. C. de *Contrah. empt.* Decium, Tiraquellum, et alios. Et merito: quia æquum est, ut quo quis jure contra alium utitur, eodem alium contra se uti permittat. c. *Cum omnes* 6. de *Constit.* et L. I. ff. *Quod quisque juris*, etc.

338. *Aliud est, statuto coerceri: aliud sub certa lege alicujus præstationis ad statuti commodum invitari.* — Accedit, quod per hoc non præjudicetur in aliquo libertati ecclesiasticæ: nam aliud est, coerceri, sive clericos